



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica**

**Huet, Pierre Daniel**

**Parisiis, 1679**

VII. Quartum argumentum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-16260**

nempe ex conferta cum Goliatho pugna; hæc, utpote contraria, à diversis Scripto-ribus profecta, & in unum ab aliquo compacta opinatur. Verum enimvero non recte hæc à Disputatore nostro distincta sunt: primum enim citharæ causa venit David ad Saulem jam intemperis agitatum; tum deinde recrudescencia Philistæorum bella alio Saülis animum abstraxerunt, ut jam citharista non egeret. Ergo David à Rege dimis- sus ad patrem rediit, & deinde à patre ad fratres cum cibariis in castra remisiss cer- tamen iniiit cum Goliatho, eoque interfecto in comitatum demum & regionum asse- clarum numerum à Saule adscriptus est. Ne cui locus hic esset fraudi præcaverat sa- cer Scriptor: nam postquam Davidem citharæ cantu Saulem hilarasse dixit, tum ca- pite sequenti Philistæorum bellum scribens, cum de Davide iterum esset acturus, *David autem, inquit, erat filius viri Ephraim, de quo supra dictum est: vel ut habet*

1. Sam. 17. 12.  
& seq.

Ebraicum exemplar, *Filius viri Ephraim huius, דוד*; ut suppleat Lector, quem jam supra designavi. Deinde: *Tribus ergo majoribus secutis Saulem, abiit David, & reversus est à Saül, ut pasceret gregem patris sui in Bethlehem.* Eum quidem ad se in castra rever- sum non agnovit Saül: quid mirum vero, in tanto stipantium numero, quem tum vi- derat cum mentis esset impos, aliter fortasse indutum ac ornatum cum ad Regem iret ipsius oblectandi causa, quam cum ad fratres in castra.

*Tertium ar- gumentum.*

1. tract. Theol.  
cap. 9.

1. Sam. 14. 1.

1. Sam. 16. 1.

1. Sam. 14. 4.

& seq.

1. Sam. 16. 5. &

seq.

1. Sam. 14. 9.

& seq.

1. Sam. 16. 11.

& seq.

*Quartum ar- gumentum.*

1. tract. Theolo- gicop. cap. 9.

1. Sam. 7. 13.

V I. In capitibus præterea vicesimo quarto & vicesimo sexto obtrectandi Libri huius causam nactus est Theologo-Politicus: rem quippe eandem utrobique, sed ex- variis itidem Scriptoribus, de re eadem diversa sententibus collectam opinatur. Qua- si ad antiquissimi & sanctissimi Libri dignitatem labefactandam opinionationes satis esse possint. Deinde attendat Lector, & mirabitur conjectoris audaciam. Illic latitat Da- vid in locis tuisissimis Engaddi: hic in colle Hachila. Illic Saülis speluncam ingressi ad requisita naturæ summam chlamydem David præcidit: hic dormientis ejusdem in- tentorio hastam & scyphum aufert. Illic Saulem spelunca egressum David blandissi- me alloquitur: hic Abnerum amarissimis probris incessit. Diversæ sane res, neque te- mere solius conjectura ductu confundendæ.

V II. Inter septimum etiam caput, & decimum tertium disconvenire ait, quod il- lic talia legantur: *Et humiliati sunt Philistiim, nec apposuerunt ultra ut venirent in termi- nos Israël. Facta est itaque manus Domini super Philisteos cunctis diebus Samuelis:* hic autem bellicus Philistæorum adversus Israël apparatus, vivo etiam tum Samuele, & ingens Ebræorum terror describantur. Hoc loco sane, ut alias sæpe, ac fere sem- per, Scripturæ sacræ verba perperam accepit Arguator noster: nam in his verbis: *Nec apposuerunt ultra*, dictio *ultra*, Ebraice *אין*, non semper tempus perpetuum, imo ne diuturnum quidem, sed exiguum quandoque significat. Perinde igitur hoc est, ac si di- xisset: Per aliquod tempus Israëlitem terram non invaserunt. Quod autem subjun- gitur, per omnem Samuelis vitam manu Dei oppressos fuisse Philistæos, vere id con- tigit: quotiescunque enim adversus Israëlitas, superflute adhuc Samuele, arma mo- verunt, magnis cladibus sunt attriti.

*Quintum ar- gumentum.*

Hobb. Le- viath. cap. 31.

1. Sam. 5. 5.

V III. Eodem loco utitur Hobbefius, ut libros Samuelis oppugnet; sed & aliis etiam, quorum primus extat capite quinto Libri prioris: *Propter hanc causam non cal- cant Sacerdotes Dagon, & omnes qui ingrediuntur templum ejus, super limen Dagon in Azo- to, usque in hodiernum diem:* unde effici putat multis post Samuelem annis scripta hæc fuisse. At meminisse debuerat Hobbefius, quæ de Dagonis simulacro narrantur illic, Samuele etiam tum adolescente contigisse; Librum autem hunc à Samuele jam sene fuisse scriptum, ac proinde intervallum satis grande intercessisse, ut merito usur- pata ab eo fuerit clausula hæc: *Usque in hodiernum diem.* Quoniam autem priora tan- tum viginti quatuor capita Libri prioris adscriptimus Samueli, reliqua Gado & Na- thani, quorum ætas longe post Samuelem excurrit, frustra eandem locutionem vi- cesimo septimo capite, & tricesimo Libri prioris, & sexto posterioris adhibitam ob- jicit Hobbefius: cum præsertim non valde longum requiratur spatium, ut hæc no- tatio temporis locum habere possit. Quod supra probavi exemplo Matthæi Evange- listæ eandem usurpantis, cum de rebus tempore non multum distitis ageret.

1. Sam. 27. 6.

1. Sam. 30. 27.

1. Sam. 6. 4.

*Sextum ar- gumentum.*

1. Sam. 7. 15.

I X. Futile quoque est, quod colligit Hobbefius ex septimo capite Libri primi, ubi hæc leguntur: *Judicabat quoque Samuel Israëlitem cunctis diebus vite sue.* Nempe vult nonnulli post obitum Samuelis hæc potuisse scribi. At minime hæc ita præcisè accipienda sunt, uti ab Hobbefio sunt accepta, quasi significet Scriptor sacer per totum vitæ suæ curriculum Israëlitis Samuelem præfuisse: nam certum est in pueritia sua jus Israëlitis non dixisse. Ergo commoda adhibenda est interpretatio, nempe ab obitu Heli Sacerdotis, ad id usque tempus, quo hæc scribebat Samuel, judicia ipsum inter Ebræos exercuisse; etiam postquam regnum adeptus est Saül: velut cum Aga- gum Amalecitarum regem, Saülis jussu servatum, in frustra concidit. Favent huic in- terpreta-